

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

53. Menstruum pretiosum pro perlis Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

53. Menstruum pretiosum pro per-  
lis Lullii,*In Comp. animæ Transmut. pag. Volum. 3. Tb. Chym.*

Re. **L** Unariæ liquorem ex tertiâ rectificatione vel secundâ (*aquam ardentem phil.*) affunde super argentum vivum, ut natet desuper per tres digitos, & pone ad inhumandum per tres dies naturales, & magna pars ejus dissolvetur cum aqua lunariæ, quam decanta, & super fæces pone liquorem recentem, & pone ad inhumandum in fimo vel balneo, & reitera, donec mercurius fuerit totus in aquam reductus.

Posteâ destillationes omnes conjunge & abstrahere in balneo, & dum videris eam quasi spissam, ita ut aqua mercurii & argenti vivi (*vegetabilis & mineralis*) sit libra semis, pone ad inhumandum per sex dies naturales. Posteâ mittas intus margaritas, & intra decem horas dissolventur. Exuberata tum eas per modum, quem docuimus in exuberatione metallorum, usque quò convertantur in sal (*harmonicum sive sulphur naturæ Perlarum*) cujus unciam dissolve in libra sui menstrui prædicti, & destilla quater. Et tum pone intus margaritas, & veluti in spatio octavæ partis horæ dissolventur propter majorem menstrui subtilitatem, &c.

Quemadmodum pro menstruo Neapolitano (quod ita dici potest, eò quòd istud Lullio Neapoli revelatum fuerit ab Arnaldo de Villa Nova) argentum menstruo mercuriali per tria vasa ignita confecto conjungitur, ita menstruum hoc pro perlis componitur ex sale harmonico perlarum, & menstruo mercuriali sive aqua gloriosa mercurii, quæ si circulentur ambo per suum tempus, inde conficies cælum perlatum.

Pro Auro potabili menstruum ex Auro & Argento præparat hoc modo.

54. Men-